ANNIBALIS RILLII ... DE BELLIS PRO CHRISTIANA REPUBLICA CONTRA TURCAS...

Annibale Rilli-Orsini

...sserini
...132

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

ANNIBALIS RILLII
ADVOCATI, ET PATRICII ROMANI
AC FLORENTINI

DE BELLIS
PRO CHRISTIANA REPUBLICA
Contra Turcas Anno MDCCXVI.
fœliciter geſtis.

POEMA ELEGIACUM,
Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum

JOSEPHUM
PEREYRAM DE LA CERDA
Epiſcopum Algarbien. Cardinalem Ampliſſimum.



ROMÆ. MDCCXVII. Typis Antonii de Rubeis.
SUPERIORUM FACULTATE.

EMINENTISSIME.
ET REVERENDISSIME DOMINE.

INSIGNIS victoria, quam de Turcis nupero bello Ceſareæ copiæ in Pannonia reportarunt, meum adeò læti-

tia

tiâ implevit animum, ut licet jamdudum Muſis nuncium remiſerim, intermiſſum ac pene obſoletum Poeticæ ſtudium iterum tentare auſim, quo meam communi Chriſtianorum omnium gratulationi adjungam. Rem Chriſtianam illâ victoriâ tam glorioſe auctam mihi proponens, ingrati in Deum animi reus quodammodo mihi eſſe videbar, ſi quæ Chriſtianos accepta referre Deo intelligebam, aliquâ ſaltem gaudii ſignificatione non proderem, quâ divina beneficia, victoriſque exercitus laudes qualicumque commendatione prædicarem. Antequam enim res Chriſtianas in tuto preclara illa victoria collocaſſet, à Turcarum potentia, formidandis viribus, regnis Chriſtianorum imminente metuebamus, veriti, ne immanis hoſtis robore virium, copiarumque numero longe ſuperior, ideoque ſuperbia tu-

mens,

mens, Chriſtianoſque ad congrediendum in acie impares credens, falsâque illâ ſibi blanditus opinione, deſpiciens, tyrannicum ſuum imperium noſtris latiùs damnis amplificaret. Cum igitur ſic timeremus, unica tantum ſpes obverſabatur, Deum ſcilicet ſuis, præſenti auxilio, è Cœlo adfuturum, nec commiſſurum, ut impia Turcarum ſuperſtitio noſtræ Sanctitatem religionis iis in locis, in quibus unus veri Dei cultus viget, pravè fœdaret, atque in Chriſtiana ſacra colentes ſæva Barbarorum crudelitas graſſaretur. Spes noſtra inanis non fuit, quia pleniſſimè nos conſecutos glorioſiſſimâ de hoſtibus relatâ victoriâ lætamur, quæ ſollicitis optabamus votis, quæque Deum noſtris exoratum precibus ac gemitibus ad noſtram conſolationem facturum pro ſuâ miſericordiâ ſperabamus. Tam eximium in nos à Deo collatum

beneficium animo volvens, ejuſdem conſideratione, præterquamquod pavorem, quo cum aliis angebar, omnino diſcuſſi, tantâ ſui lætitiâ perfuſus, ut jamdiu deſueta carmina retentare meum eſſe duxerim, quibus divinam in nos miſerationem meâ tenui licet ſcriptione collaudarem, Duceſque, & milites, quorum fortitudine deleti, & profligati hoſtes, utcumque commendans, alios, qui cultiùs, & elegantiùs illorum in eo bello præclare geſta concelebrent, excitarem. Hac mente ad carmina conſcribenda redii non ea tamen ſpe, ut Vatis lauro digni, laudem arbitrer me conſecutum. Non enim quantum ab hujuſmodi laude abſim meæ tenuitatis cognitio latere me ſinit; Quamobrem mihi optime conſcius eum me non eſſe, qui aliquem locum inter egregios Poetas mihi vindicem, non facile induxiſſem

in

in animum, ut temerè prodirem, imbecilleſque nimis ætatis in ſenectutem vergentis, conatus, in publicum meritò culpandus obtruderem. His permotus cogitationibus, ut quæ ſcripſi lucem adſpicerent promptius noluiſſem, niſi tua, PRINCEPS EMINENTISSIME, voluntas, cui religio eſſet adverſari, eo me impuliſſet, ut quę tenebris damnare conſultò malueram, edere non recuſarem. Jubentis auctoritati ſum alacriùs obſecutus, quòd Te probante meum laborem non inglorium mihi ſpondeo, cum, quæ ipſe probaveris, aliis quoque placitura judicem. In eam autem ſententiam facilius veni, ut hęc evulgarem, quia, Te auſpice, ſpectatum undequaque decus meis carminibus allatum video: & quia tuâ factum eſt auctoritate, ut minus timidè prodire audeam, idcirco ſperem, ut, ex Te, meo cum honore, ſingularis gloria commu-

nicetur . Hæc quidem , ut firmiſſimè perſuaſum habeo , nequaquam deerit, cum abunde poſſideas quæ ſine tua jactura in alios effundas , iiſque alios honore è præclariſſimis tuis ornamentis profectò augeas. Cum hæc Tibi quàm uberrimè ſuppetant , eximium ſanè decus ſibi gratulari jure meritò poſſunt, quos ampliſſimo tuo dignaris patrocinio . Miſſa facio , quæ nobiliſſimam tuam, regio ſanguine, ortam familiam honeſtant : reticeo pariter, quæ glorioſiſſimi tui Majores belli, & pacis artibus, quibus quàm commendatiſſimè inclaruerunt, nunquam ſatis laudati, egregiè fecerunt . Priſca, & recentia Hiſtoriarum monumenta laudibus tuorum, quorum gloriam nulla unquam ſilebit ætas, nulla delebit oblivio, referta ſunt. Hæc ſane ſatis eſſe poſſent, ut quamlibet Gentem, vel ſummâ nobilitate inter cæteras præſtantem, præ-

cla-

clarè illuſtrarent. Sed cum Te, & quæ tua verè ſunt, mihi propono, ornamentis aliundè accerſitis Te non indigere cognoſco, cum ſumma quæque omnia, quæ, poſt Deum, uni Tibi debes, ex Te poſſideas. Qui, & quantus ipſe ſis, præter alia innumera, quæ propria Tibi ſunt, munera, omni ex parte inſignia, quæ geſſiſti, ac geris, dignitas Cardinalis, quam ſingulari, tua merita, honore, cumulant, aliaque plura in Te congeſta, quæ vel diviſa cæteros plurimùm commendarent, non obſcurè oſtendunt. Algarbiæ regnum, cui pro SERENISSIMO LUSITANIÆ REGE præfuiſti, ſe nunquam commendabiliùs, adminiſtratum ſummâ prudentiæ, vigilantiæque laude, nullo unquam tempore obliviſcetur. Tua quoque Diœceſis, quæ ſincero Dei cultu cum pietate quàm attentiſſimè conſervato, coactâ ſynodo, in qua la-

tis legibus, quibus concreditarum Tibi animarum bono conſuleres, fideique puritati ab erroribus, qui irrepere hominum fraude vel oſcitantiâ poſſent, caveres, tot ac tantis cumulata beneficiis, Te ſibi Paſtorem, Patrem, atque Doctorem à Deo datum intelligit, ſecumque ideò quam fœliciſſimè actum exiſtimat. Nec Luſitania ſolum in tuas effuſa laudes te prædicat: Roma quoque, ac tota Italia, immo totus Orbis Chriſtianus quàm latiſſime patet, Tui commendatione circumſonat. Quę cum ita ſint, meum reprehendere conſilium cogor, quo in tuas me abripi ſum paſſus laudes, cum ignorare non debeam, quàm iis perſequendis impar ſim; nec verear, ne perperàm illas deteram ingenii culpâ. Ab iis igitur conſultò abſtineo, ne in tua merita, quæ longè majora ſunt, quàm ut ullâ commendatione aſſequar, peccare videar.

Illùc itaque redeo, quo pertrahor obſequio, ut ſcilicet quæ Tibi offero, humaniter excipias, illaque tuo digneris patrocinio, quo indigent, ut ex illo decus, quo aliòquin carerent, iis ne deſit. Humaniter illa Te accepturum mihi perſuadeo, ſi non alia ex cauſa, ſaltem quòd, quæ fortiſſimè geſſit in bello Pannonico in Turcas Celſiſſimus Luſitanus Princeps EMANUEL SERENISSIMI REGIS FRATER, cujus gloriç Te mirificè ſtudere optime novi, carmine licet non omninò impolito, efferunt. Cum hæc ſpe mihi blandiar, tuâ ſatis compertâ humanitate fretus, fore ut meum Tibi probetur obſequium: Si quod à Te ſupplex flagito impetrare licebit, mea mihi videbor vota quam cumulatiſſimè conſecutus. Vale.

IM-

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtol. Magiſter.

DE

DE BELLIS
PRO CHRISTIANA REPUBLICA
Contra Turcas Anno MDCCXVI.
fœliciter geſtis.

LIBER PRIMUS.

CÆSARIS eximios mens fert celebrare
triumphos,
Et Ducis EUGENII *tollere ad aſtra*
decus.
Et memorare libet Corcyræ, à clade, redemptæ
Mœnia, barbaricæ, quæ tenuere manus.
Nec taceam precibus CLEMENS *quæ geſſit, & armis,*
Ac Regum auxiliis, quæque fuere, canam.

Quan-

Quantum etiam effulſit pia Cæsaris *arma ſecutus*
Regius Emanuel, *tangere Muſa jubet.*

Si ſacri vates, ſacroque caleſcimus igne;
Ceptis Diva meis Calliopea fave.

Auge animos trepido, mentemque attolle canenti
Magna per undenos emodulanda pedes.

Tu quoque Muſarum Princeps, & carminis auctor,
Phœbe potens numeris, ad mea vota veni.

Tu mihi da vires, pectuſque accende, jubeque
Maxima geſta elegis biſcere poſſe meis.

Erige & immenſa ſtudiorum mole gravatum
Ingenium, ut qui ſum, non puter eſſe Senex.

Tuque etiam poſito faveas Elegeia luctu;
Abſcedant lacrymæ, quas dat iniquus Amor.

Auſpice te ſiquidem quandoque Propertius, atque
Naſo, tuis numeris fortia facta canunt.

Ergo age, cornipedum ſtrepitus, clangorque tubarum
Grandia te mecum promere metra jubent.

Sed canimus ſurdis incaſſum Helicona cientes!
Quid faciam? Major Diva *roganda mihi eſt.*

Virgo Parens *terſancta fave, procul ite profana*
Numina, carminibus præſit, ut illa meis.

Nem-

Nempe ſuas animus ſuadet contexere laudes,
Quas mihi dulcis erit commemorare labor.

Nam redeunte die, Exquiliis dum Sirius ardet,
Quo, templum ut fieret, protulit illa nives.

CÆSARIS, EUGENIIQUE *ardentibus excita votis*
Adfuit altiſonis quâ fluit Iſter aquis.

Et Phlegetontaas ubi vidit adeſſe phalanges
Ut præſint armis, Thrax ſcelerate, tuas,

Iamque auſas Boreæ flatu diſrumpere pontes,
Ut diviſa hoſtes CÆSARIS *arma premant;*

Threiciiſque animos auxiſſe cohortibus, ut jam
Figant Theutonico Turcica ſigna ſolo.

Atque acies dextri lateris turbata retrorſum
Cedat, & ambiguo Marte ſiniſtra labet.

Protinus implorans æterni numina Nati,
Eumenidum turmis talia juſſa dedit.

Maturate fugam, infernoque hæc dicite Regi,
Non locus hic tenebris, eſt meus iſte dies;

Et meus eſt CÆSAR, *meus eſt* EUGENIUS: *Ite.*
Sunt mea tot Procerum pectora, totque Ducum.

Quàm fatale, mihi ſacris, pugnare, diebus,
Sæpe Erebo fuerit; debuit eſſe memor.

 De-

Debuit & meminiſſe duo ipſa hæc flumina nuper
Sanguine barbarico contemeraſſe ſalum.

Hic etiam exclamant violata fœdera pacis,
Hoc Thraces pereant, quo pepigere, loco.

Sic placet; æterno manet hæc ſententia Nato;
Et rata, quæ juſſit Trinus & Unus, erunt.

Magne, reluctantes, MICHAEL, *ad Tartara pelle;*
Sed ſatis eſt, video præcipitaſſe fugam.

Tu mihi cognato ALLOBROGUM *de ſanguine Regum*
Progenite EUGENI, *me duce victor eris.*

Biſtoniis, Scythiciſque tibi impenetrabile telis
Pectus erit, caput & proteget iſta manus.

Sed directæ acies, collatiſque, horrida, ſignis
Prælia jam fervent; Eja age, rumpe moras.

Nec tua te cornu turbet gens territa dextro,
Terreat aut lævo non bene firma globo.

Millia biſcentum peditumque, equitumque, timoris
Dent nihil, inde tibi gloria major erit.

Sic pietas, ſic firma fides, ſicque inclita virtus
CÆSARIS, *auxilium promeruere meum.*

Hæc fata: ad tenues ſeſe altiùs extulit auras,
Obtutu recreans CÆSARIS *arma ſuo.*

Pro-

Protinus AUSTRIACÆ, *Numen, ſenſere cohortes,*
Priſtinus & trepidis cepit ineſſe vigor.

Præcipitanter equo Dux ſeſe EUGENIUS *ultrò*
Projicit impavidus, proſilitque pedes;

Ac mixtus peditum turbæ, quo pergitis, inquit,
Quo meus, & veſter vos trahit inde pudor?

Scilicet ad fontes rapidi properabimus Iſtri,
Terga triumphatus noſtra ſequetur Arabs?

CÆSARIS *invictas ergo referetur ad aures*
Me Duce, ſigna ſuum non tenuiſſe locum;

Proh ſcelus! horrenda Turcarum cæde piandum,
Sic pia Virgo monet, ſic ſacer iſte dies.

Ænea quà tormenta tonant, rumpenda per hoſtes
Eſt via, quàque in nos plumbea grando pluit,

Quà globus ille virum denſiſſimus urget eundum;
Hic ſternenda via eſt, Ipſe ego primus ero.

Dum loquitur ſimul adverſos irrumpit in hoſtes,
Certatim ſequitur martia turba Ducem.

Sicque alii Proceres tanta hæc exempla ſecuti
Ordinibus pedites reſtituere ſuis.

Victores, victique ruunt, pariterque recedunt
Et furit in medio mors truculenta loco.

Donec in adverſam, ceptis ingentibus, ire
Frontem Theutonicis, & penetrare datum eſt.

Atque equites denſis accurrunt undique turmis,
Diſrumpuntque globos, Thraciaque arma premunt.

Tunc etenim implicuerunt ſeſe acies, & in alto
Sanguine cornipedes, arma virique jacent.

Hactenùs incerto ſteterunt fera prælia Marte,
Inque ſolum irriguus fluxit utrinque cruor.

Bellatoris equi, ſed poſtquam Eugenius, *armos*
Preſſit, & exemplum eſt turba ſequuta Ducum;

Atque iterum directæ acies; ſibi conſcia virtus
Continuò exarſit, proſiluitque furor;

Unanimeſque adverſa irrumpunt agmina denſis
Ordinibus, cogunt accelerare fugam.

Nec mora, nec requies; ſternunt peditesſque, equiteſque;
Signaque diripiunt, caſtraque in ipſa ruunt.

Sed ſatis imparibus numeris conarier auſus
Sum canere Herois prælia digna metris.

Cætera prætereo tantæ diſcrimina pugnæ,
Carminibus ſiquidem ſunt nimis alta meis.

Non tamen indictum Vizir te ſæve relinquam,
Ipſe licet nullum promereare decus.

De-

Debita quippe tuo eſt, victoria tanta, furori,
Quo loca noſtra, metu, vindicat una dies.

Cum poſſes multos bellum trahere uſque per annos,
Noſque etiam aſſidua contriviſſe mora.

Auſus ſuprema tentare pericula ſortis
Attrahis in proprios Norica tela lares,

Aſpice ut horrendâ ſunt omnia plena tuorum
Cæde, ut Danubii lympha cruore rubet.

En jam capta gemunt, vaſtataque caſtra, diuque
Undique collectæ diripiuntur opes.

Ænea biſcentum tormenta ablata quieſcunt;
Deficit & ſpoliis, exuviiſque locus.

I nunc, turge animis, meditare incendia ROMÆ,
Et ſubjecta tuo Norica Regna jugo.

I, propera, infando Mahometis fige ſepulcro
Vexilla, AUSTRIACI *quæ coluere Duces.*

Haccine ſunt magna illa tuo jactata Tyranno
Prælia, perpetuum promeritura decus?

Par ne putas molles Aſiæ viciſſe cohortes,
Et cum GERMANIS *conſeruiſſe manus?*

Diſce prius bello invictas cognoſcere gentes,
Queis eſt indomitos flectere ludus equos.

At

Ac durare gelu natos, qui caſtra ſequntur;
Et mater comes eſt, & truculenta Soror.

Exulat inde timor, pugnandi vivida virtus
Æſtuat, & viſis hoſtibus arma fremit.

Non hìc militiæ dantur faſtigia ſervis,
Sola creat virtus, nobilitaſque Duces.

Principibuſque Viris, altoque è Sanguine cretis
Imperat EUGENI *vox generoſa Ducis.*

Regale huic genus Italiæ pars ultima, cunas
GALLIA, & AUSTRIACUM *dat decus omne ſolum.*

Crevit in immenſum triplici de germine virtus,
Virtuti quamvis fons ſatis unus erat.

Integra juſtitia eſt, par ſtat clementia Magni
CÆSARIS, *& pietas, & ſine labe fides.*

Munera, ſed vobis, poſtquam ſuprema tenetis,
Egregium laquei pœna coronat opus.

Ergo quid attentas, furibunde, quid anxius hæres?
Non furor eſt virtus, ne moriare mori.

Eſt pudor infami vitam dimittere nodo,
Gloria ſed, forti, eſt, procubuiſſe manu.

Hoc decore inſignis, Dux maximus occidit, illo
Turcarum virtus, ſic pereunte, perit.

Et

Et creſcente metu, ſacriſque urgentibus armis,
Turpia præcipiti terga dedere fugâ.

Interea volat immenſum diffuſa per orbem,
Victriceſque manus, nuncia Fama, refert.

Excitat & plauſus, ſed quamvis creſcat eundo,
Non potis eſt tantum percelebrare decus.

Dum redeunt fauſti ſolemnia ſacra diei,
Quo MARIAM *æthereus vexit ad Aſtra Chorus.*

Dumque etiam Exquiliis CLEMENS, *ſacer atque* SENATUS
Præſidium implorant, ter PIA VIRGO, *tuum.*

Templum ubi conſpicuum, gemmiſque, auroque coruſcans,
Cujus & æſtivæ ſigna dedere nives.

Res memoranda! celer tunc nuncius advolat Urbem,
Et viciſſe piis CÆSARIS *arma refert.*

Quodve dies tantæ fuerit fauſtiſſima pugnæ,
Exquiliis Sacra quâ cecidere nives.

Sic geminis MARIÆ *junguntur tanta diebus*
Gaudia, quæ nullo ſunt peritura die.

Adde quod octavâ poſt hæc ſolemnia, luce,
VIRGINIS *auſpiciis, quæ quoque ſacra manet.*

Tertia ſuccedunt non infima gaudia, partim
Majora, Italiæ nempe propinqua magis.

Cor-

Corcyram ſiquidem (quæ olim Phæacia tellus
Inſula carminibus nota Tibulle tuis,

Alcinoique hortis quondam celebris, ſed Ulyſſis
Naufragio, nautis terra timenda fuit)

Threicii nupèr dirâ obſidione premebant,
Et res ſolliciti plena timoris erat.

Quippe licet Veneti vigilaret cura Senatus,
Quo nullus toto cautior Orbe viget.

Sponderentque acres, Urbemque, arcemque tueri
Theutones, & cauti, belligerique Duces,

Quin etiam Venetis, inſigni claſſe, liceret
Biſtonias Auſtro ſlante cremare rates,

Attamen infirmas, immenſa potentia, vires
Infregit, longa conteruitque mora;

Et Peloponeſi nuper jactura coëgit
Sumptibus anguſtos impoſuiſſe modos.

Nec claſſi pugnare datum, renuentibus Auſtris
Flare, & in adverſas carbaſa ferre rates.

Unde & terdenis Turcarum millibus, Urbem
Non ceſſiſſe datum eſt, Spiridionis ope.

Ergo ubi ſupremum trepidanti cominùs Urbi
Imminet exitium, mœniaque ipſa patent;

Qui

Qui Mare, qui Terras, qui Cœlum numine complet,
Quique hominum caſus aggravat, atque levat;

Arbitrioque ſuo fervorem cordibus infert,
Deprimit & gelido pectora noſtra metu.

VIRGINIS, & MATRIS *flexit ſua numina votis,*
Corcyræque hilarem juſſit adeſſe diem.

Salve feſta dies, MARIÆQUE *dicata triumphis,*
Ante per octenos, qui tituere dies.

Hac etenim vireſque, animique tuentibus Urbem,
Crevere inque hoſtes impetus ire ſuus.

Protinùs accurrunt, inimicaque ſigna revellunt
Mœnibus, hoſtiles, quæ poſuere manus.

Propelluntque acies, & per drupta ruentes
Threïcios cogunt præcipitare fugam.

Turpiter & caſtris, armamentiſque relictis
Confugere ad puppes, & dare vela Noto.

Talibus Eoa jamdudùm in parte ſecutis,
Per multos ROMAM, *quæ latuere dies.*

Exquilias CLEMENS, *ſacro comitante* SENATU,
CHRISTIPARÆQUE *illic Templa dicata petit.*

Scilicet acturus tanto pro munere grates
SANCTE *tibi* OMNIPOTENS, & *tibi* VIRGO PARENS.

Auguſtique ſimul meritâ cum laude paratus
Excipere, & templi figere dona tholo.

Cornipedum geminas, bellorum inſignia, caudas,
Quas veteri, Turcæ, religione colunt,

Ac totidem vexilla auro, nitidiſque lapillis
Fulgida, Supremi regia ſigna Ducis,

Omulucæ Antiſtes, quæ SCHRATTEMBACCHIUS *oſtro*
Clarus, Cæſareo nomine, dona dedit;

Addidit eloquium tam docto Principe dignum,
Eximium faſſus CÆSARIS *obſequium.*

Contra, mellifluo, CLEMENS, *ſermone diſertus*
Promeritas grates, & pia vota refert.

Hinc ſubitò altiſono reboant laquearia plauſu,
Obrutaque, à fremitu, vox modulata ſilet.

Undique reſpondent Turres ſacro ære ſonantes,
Collibus in ſeptem quà Sacra Templa patent.

Extemploque cavis ignes tonuere metallis
Sulphurei, ingentis nuncia ſigna boni.

Romula gens totam latè diffuſa per Urbem
Clamat, Io CLEMENS *maxime, vive diu,*

Vive diu fælix, ſint & fælicia, CÆSAR
Perpetuò auſpiciis bella gerenda tuis;

Vive

Vive diù EUGENI, *quo non præſtantior alter*
Et regere, & fauſto Marte ciere viros.

Nempe tuis ſemper, fœlix Victoria, ſignis
Militat, atque tuas excubat ante fores.

Vive iterumque, iterumque diù cum CÆSARE, *& inde*
Altius ingeminat, vivat uterque diù;

Hos inter plauſus, tibi, dat præconia laudum,
CHRISTIPARA, *& Nato vota, preceſque tuo.*

Sed CLEMENS *fuſis precibus, ſacriſque litatis*
Audit lætitiæ nuncia verba novæ.

Scilicet immanes Corcyræ littora Turcas
Fœmineâ nuper deſeruere fugâ.

Hinc ſubitò ſacras tollens ad ſydera palmas,
Atque oculos, lacrymis qui maduere piis;

O vos ſacrorum fœlicia feſta dierum,
Quæ tibi in Exquiliis VIRGO *dicamus, ait.*

Quinque etenim decorant Templum hoc regale Triumphi
Lætitiæ, pauci quos peperere dies.

Primus, Pannonicæ dat maxima gaudia pugnæ,
Iſque fuit, ſanctæ cum cecidere nives.

Conſtructique olim redeunt ſolemnia Templi,
Alter, quo ROMAM *nuncius iſta refert;*

Hæc etenim pergis, raperiſque ad ſydera VIRGO
Iſtius, & fulget maximus Ædis honor.

Tertius, octavi redeunt dum feſta diei,
Corcyram Thraces deſeruere fugâ.

Quartus honor Templi ſtat proximus, iſque eſt,
Quo CÆSAR *tibi nunc Turcica ſigna dicat.*

Et propè quintus adeſt, & luce coruſcat eâdem
Corcyrâ ſiquidem vincius ecce venit.

Salve igitur, ſplendens COELI REGINA, *meiſque*
Supplicis meriti pondus ineſſe jube.

Annue, perpetuum ſint ut manſura per ævum,
Irrita nec venti per freta ſumma ferant.

Principibus PIA VIRGO, *tui qui numina Nati*
Sancta colunt, & quos colligat una Fides,

Fac DEUS *inſpiret mutui certamen amoris,*
In quo victorem vincere quiſque velit.

Stent antiqua, ſimul fiant nova fœdera pacis,
Quæ quoque permaneant intemerata diù.

En quales peperit Regum concordia fructus,
Iſtius auſpiciis, hos habuiſſe datum eſt.

Inclyta, quippe ſuâ plus confert Gallia, pace,
Quàm ſi belligeros traderet illa globos;

Sed

Sed majora tulit tibi, cùm, fortiſſime, cunas
EUGENI, & Patriæ cor, animumque dedit.

Exulet atra lues pecudumque, hominumque, nec unquam
Principe me, Populos vexet acerba fames.

Ultima quæ ad Superos jamdudùm Aſtræa receſſit,
VIRGO precor, redeat, juraque, & arma regat.

Hac ſine quippe hominum vana eſt prudentia, & omne
Solvitur in nihilum, ſit licet uſque vigens.

Denique fœlices Animas, quæ ſanguine, vitam,
Et pacem nobis hanc peperere, ſuo,

Fac, velit OMNIPOTENS ſancto DEUS igne piatas
Protinus æthereis inſeruiſſe choris.

Hæc fatus ſtatuit fœlici morte peremptis
Inferias certâ percelebrare die.

Has poſtquam CLEMENS ſolemni more peregit,
Exemplum juſſit ſingula fana ſequi;

Quà ROMA aſſurgit per ſeptem maxima colles,
Sanctior hoc toto non fuit Orbe dies.

Sed neque Pontificis, memori de mente, receſſit
Eximius Divi Spiridionis honor.

Nempe piis precibus, ſacroque litavit ad aram,
Qua datur exuvias percoluiſſe ſuas.

Sci-

Scilicet hic ille eſt Antiſtes Cyprius, olim,
Inſignis ſanctâ ſimplicitate ſenex.

Nicæni quondam Cœtus non ultimus, in quo
Tercentum Fidei jura dedere Patres.

Quippe Sophum, cui dira Arii ſententia mentem
Polluerat, nec ſpes ulla ſalutis erat,

Vincere quem docti nunquam potuere magiſtri
Æquevum ut Natum crederet eſſe Patri,

Vicit, & in melius mentem mutare coegit
Hic ſermonis inops, ingenioque rudis.

Obſtupuere Patres, divinaque flamina, doctis
Tot Procerum eloquiis, plus valuiſſe vident;

Iſtius ergo ſenis ſanctum coluiſſe cadaver
Corcyræ, veteri relligione datum eſt.

Auſpice quo, ſemper fœlix Phæacia tellus
Barbaricas potuit non timuiſſe manus.

Turcarum quamvis horrenda potentia circùm
Cingeret, exiguum, quod tenet illa, ſolum.

Adde quod obſidio nuper cum dira, teneret
Mœnia, ſollicitus crevit in Urbe timor,

Ne Thraces raperent manibus ſacra oſſa profanis,
Hinc ſtatuunt tutum tradere in arce locum.

San-

Sancta petunt pavidi, delubri limina, Cives,
Accenſaſque faces, & pia vota ferunt,

Exuvias transferre ſuas ut ab æde liceret;
Sed ſanctæ pondus non habuere preces.

Fama etenim retulit nuper vulgata, moveri
Urnam de veteri non potuiſſe loco,

Ingens turba licet collatis nixibus, & vi
Summâ, illam ac multis cogeret ire modis;

Donec noſſe datur tanti miracula caſus,
Conſtitit & ſacro Numen ineſſe loco.

Scilicet incaſſum ſceleratos mœnia Turcas
Cingere, quantumvis undique fracta cadant.

Spiridio ſiquidem venturi præſcius, urbem
Tutari exuviis, ſpondet ab hoſte, ſuis.

Nec ſpes vana fuit, ſunt & majora ſecuta;
Maxima ne fierent ſors inimica tulit.

Quandoquidem Clemens *magnorum exempla ſecutus*
Pontificum, ſtudio noluit eſſe minor.

Quippe ſuis, Regumque coactis viribus, omnes
Threïcias potuit, vincere claſſe, rates.

Non pugnaſſe fuit ventorum culpa, quid ergo
Plebs quereris, forſan jura dat ille Noto!

Suc-

Succeſſu rerum meliore carere meretur,
Quiſquis ab eventu facta probanda putat.

Quod fuerit magno ſors ſemper acerba Catoni,
Num minuit tanti fortia geſta viri?

Num memoranda minus, Lodoici, *maxima,* Regis
Gallorum, *Virtus, Lux & honoris, erunt?*

Quod Solimæ *Regnũ, &* Sancti *monumẽta* Sepulchri,
Armis, non potuit detinuiſſe, ſuis.

Quippe ſemel victor, poſtquam proſtraverat hoſtes,
Succubuit victis, captus & ipſe fuit.

Scilicet atra lues turmas bacchata per omnes
Invaſit fortes, eripuitque viros.

Et tentata iterum ſors, fato ceſſit eodem,
Sed ſtetit eximium, perpetuumque decus.

Nunc meritò, Divûm, ſacris veneramur, in aris;
I nunc, eventus poſſe nocere puta.

Ergo perpetuum (ſi quid mea carmina poſſunt)
Clementi, *mens eſt, conciliare decus.*

Pulchra licet fuerit jamdudum elapſa juventus,
Et prope ſit, tardo, curva ſenecta gradu;

Nam labor aſſiduus, Sophiæque innata cupido
Ingenium, ſtudiis, exacuere, meum.

Ut

Ut vaſto legum, liceat decurrere, campo,
Sive profana, petam, dogmata, ſive ſacra.

Hiſque, mihi, curis, ſummoque labore, futuris
Temporibus, forſan nobile nomen erit.

Non ignota cano; ſtant plena volumina, Lucem
Si quando aſpicient; non mihi noſſe datur.

Ille ego, qui tuear memoranda volumina Groti,
Queis, tibi Roma, *favet, primus in Orbe fui.*

Magnum opus! at vereor fatis ceſſura malignis
Grandia cepta, meus non erit iſte pudor.

Poſt placuit, varias rerum dignoſcere cauſas,
Quâve DEUS, *mundi, temperet, arte domum.*

Hæc voluit, doctus, noviſſe, Propertius, olim,
Sed tantum vetuit, mors properata, bonum.

Cynthia cauſa mali; perimit Venus improba vires;
Quas, minuit Pallas, ſed reparare licet.

Quin etiam, Coi, didiciſſe arcana, Magiſtri
Profuit, atque mea eſt inde petita ſalus.

Aſſiduis ſiquidem ſtudiis mens obruta, corpus
Fecerat, exiguæ, ſuccubuiſſe, febri.

Iſta diù, lentâ conſumens viſcera, tabe,
Penè fuit, miſeram, depopulata, cutem.

Gratia magna, tibi VIRGO SANCTISSIMA, *nam Tu,*
Pervicisti, obitus, proxima fata, mei.

Ut quandoque, mihi, reputem, rediiſſe juventam,
Bis ſena, atque unum, ſint mihi, Luſtra licèt;

Sed brevis iſte vigor, parcè me viribus, uti,
Corporis attritis, ingeniique, jubet.

Nec licet, aſſiduè, ſtudiis, incumbere, ſacris,
Ingens quippe fuit, nuper, ad iſta, labor.

Sed perſæpè, meo, mentem recreare, Platone
Cogor, & antiquos conſuluiſſe ſophos.

Inde etiam, diu, redit mihi, cura, Poëſis,
Et tenues Elegos compoſuiſſe libet;

Namque his, libertas, & juſta licentia, metris
Congruit heroïs, non adhibenda, modis;

Hasque referre decet medias inter carmina, ſic mos
Naſoni, & Læto, ſic quoque, Challimaco.

Sed ſatis eſt: Ad vos igitur, generoſa, revertor
Pectora, queis Claſſis, *provida cura, fuit.*

Aſt dum, magne, tuas, CLEMENS, *volo texere laudes,*
Deficit ingenium, deficiuntque modi.

Et quis enim recolat, quo mentis acumine, quove
Pectoris impulſu, ſacra tot arma pares?

Claſ-

Claſſem, quippe, tuam, magnis tot puppibus, implet,
Quas, nuper, cenſus, conſtituere, tui.

Nec leve ſubſidium, ſeptem, ſtat, Navibus, hæc nam
Parva quidem claſſis, ſed tamen apta fuit.

Addidit his, Melita Venerabilis Inſula, plures,
Haſque potes, CLEMENS, *jure vocare tuas.*

Quippe Hieroſolymæ, quæ nomen ſumpſit ab Urbe,
Religio, nivea conſpicienda Cruce,

Illic ſceptra tenet; ſed Te, tamen, illa veretur,
Obſervatque libens, & tua juſſa colit.

Inſula, ſacra tibi, SANCTISSIME PAULE, *ſalubri*
Præſidio, ſemper facta beata, tuo.

Vipera namque, tibi, hic, digitum, furioſa, momordit,
Sed nocuere tibi, dira venena, nihil.

Criminis, illa, ſui, pœnas perſolvit, in igne,
Serpentumque ſimul concidit omne genus.

Atque licet, nudis pedibus, curſare per agros,
Nam viroſa illic, Beſtia nulla, repit.

Sic Tua, tot Melitæ, Claſſis, ditata Carinis,
CLEMENS, *Threicius pertimeſcenda fuit.*

Aſt majora, tuo ſub nomine, Carbaſa, mittunt
Qui duo, in Heſperiis, ditia Regna, tenent.

Hos paucis laudare neſas; Encomia laudum
Dignis, digna, metris, quis celebrare queat?

Conſpicuis ſiquidèm, obſequioſa ſilentia, geſtis
Sunt magis apta, levi quam tetigiſſe manu.

Poſt, tribus eximiis, tua Vela, Triremibus, auges,
Quas tibi dat Magni, Regia Cura, Ducis.

Maximus hic Cosmus, *cùm quo prudentia major*
Regnet, vel Pietas, Orbis in ancipiti eſt.

Perpetuâ ſiquidèm, media intèr prælia, pace,
Hujus ab Imperio, Tellus Hetruſca, viget.

Purpureæ, Miranda Crucis, Quæ carbaſa Claſſis
Mediceæ, decorat, quis memorare queat!

Dant totidem Ligures, ad claſſica bella, feroces,
Hyrcani Imperium, qui tenuere, maris.

Ergo terdenæ, Petri *Vexilla ſecutæ,*
Auſpice Te, Naves, incubuere ſalo.

Debuit, hæc Claſſis, niſi ſors ingrata negaſſet,
Omnes Threicias, contriviſſe, rates.

Fata licèt, juſſam, vetuere capeſſere, pugnam,
Tollere, Victoris, non valuere, decus.

Audito ſiquidèm Clementis *nomine, Turcæ*
Corcyram linquunt, diffugiuntque rates;

Qui

Qui venit, vidit, vicit, tibi cedat, oportet;
Nomine nàm ſolo, ſæva tot arma, fugat.

Sèd tacitus cùr prætereo renovata, frequentèr,
Gaudia, per Cives, inclyta Roma, *tuos?*

Sedula Plebs ſiquidèm, veteres, imitata, Triumphos,
Præſtitit, Officii, munera grata, ſui;

Parva quidèm, verùm (ut reputo) gratiſſima, Cæsar
Magne Tibi, ex animis cùm metiaris opes.

Quæ quondam, ingentes, fuerant ad maxima, Vires,
Si nùnc ſuppeterent, ſplendidiora daret;

Sèd Plebs, quæ totum, fuerat dominata, per Orbem,
Sola, tenet faſtus, jura paterna ſui;

Iſta ego, Conringi, Gronovique, afflata veneno,
Ne pereant, nupèr ſubſtinuiſſe, reor.

Ut rata ſint, magni, certiſſima dogmata, Groti,
Hujus, qui Populi, maxima jura, colit.

Ergò bis geminos, celebravit Roma, *Triumphos*
Eugeni, *auſpiciis, quæ nituere, tuis.*

Ipſe etenim, auratâ vectus, celsâque quadriga
Per lætas, Urbis viſus es ire, vias.

Antè, Catenatos, Pubes armata, trabebat
Threicios, pedibus, comprimis ipſe, Duces.

Om-

Omnia ficta quidèm, ſed tanquàm vera fuiſſent,
Plebs, plauſu altiſono, Romula, clamat io.

Indè Triumphales Arcus fulſere per Urbis
Compita, perque omnes, fixa Trophea, vias.

Undique, feſtivis facibus, micuere feneſtræ,
Quilibet, & tota fulſit in Urbe, locus.

Hæc, tibi, ROMA, *ſui, dedit, Inclyte* CÆSAR, *amoris*
Pignora, nèc poterat candidiora dare.

EUGENI, *tibi, ſic* CLEMENS, *cùm tradidit Enſem,*
Pileolumque ſacrum, maxima dona dedit.

Supremis etenim Ducibus, meritiſque Triumphum,
Pontifices, ſummum hoc, conſtituere, decus.

Tanto ſis fælix, antiqui moris, honore,
Invictos ſemper, qui facit eſſe, Duces.

Creverit ad ſummum, quamvis tibi, fama, nec ullus
Audeat, emeritum, diminuiſſe, decus.

Invidiæque licèt, calcaveris ardua, victor
Limina, Virtuti, cedat & illa, tua.

Non ſatis eſt; Majora, tibi peragenda, ſuperſunt,
Unde, tibi, ſacer hic, utilis Enſis erit.

Aſpice quà ſeptem contendit ad ora, profundus
Iſter, & Euxino mergitur indè Mari,

Quà-

Google

Quàque, Tomitanæ, pandunt ſe littora, Terræ
Exilio celebris, Naſo Poeta, tuo.

Hæc loca nempe Daci, quondàm, Miſique, Getæque
Obtinuere; hodie, Turcica Sceptra tenent;

Nàm venere Hunni, Scythicæ, fera germina, Terræ,
Unde genus Turcæ, progeniemque trahunt.

Hiſque locis, ſedem, teterrimus Attila, Regni
Et poſuit quondàm, detinuitque ſui.

Ac Bellatorum quingentis millibus, indè
Movit, in exitum, Gallica terra, tuum.

Sèd Gothicis, noſtriſque, licèt devictus, ab armis,
Urbibus Italia, fata maligna, tulit.

Dùmque parat, miseræ, excidium, dare cominùs Urbi.
Sanctus, adit Regis Caſtra inimica, Leo;

Ac precibus tandèm, ſacro & ſermone coegit,
In Patriam, reduces, accelerare, gradus.

Hac igitur loca vaſta, celer, quæ dividit Iſter,
Olim, Romanis, ſubdita, limitibus:

Nùnc peragrata tuis, ſemper victricibus, armis,
Cæsaris Imperio reſtituiſſe decet.

Luſi nomen habens, Quem nùnc Hispania *miſit.*
Regius Emanuel, *natus ad ora Tagi.*

Qui

Qui decorat tua Caſtra, tuâ virtute, tuiſque,
EUGENI, *exemplis, erudiendus erit.*

Inclytus hic ille eſt Iuvenis, qui tecta reliquit
Regia, Danubium præpoſuitque Tago.

Qui Mare, qui Terras, curſu peragravit, atroci
Poſſet ut in pugnâ promeruiſſe decus.

Adfuit; (& tanto ſors non invidit honori)
Terribiles, pugnam cùm cecinere, Tubæ.

Protinùs exarſit, ſtudio virtutis, & audax
Proſiluit, celſo conſpiciendus equo;

Nèc timuit, primis, ſe ſe immiſcere, catervis,
In quibus, ambiguo Marte, triumphat honor

Ingreſſuſque fuit Thracum tentoria, victor,
Tanta Tyro peragit! Quid Veteranus aget?

Si mihi non reſecent, fatalia ſtamina, Parcæ,
Quæ geſturus erit, maxima facta, canam.

Intereà memoraſſe, ſuæ, primordia, laudis
Horribili in pugna, ſat decuiſſe puto.

Sed, tibi, quæ ſpondet, tanta hæc Victoria, CÆSAR,
Quæque manent, paucis, nùnc mea metra ferent.

Et ſi quid moneam, non indignabere, ſolos
Quippè decet Vates, vel monuiſſe Iovem;

Eſt

Eſt DEUS *in nobis, agitante, caleſcimus, illo,*
Impetus hic ſacra ſemina mentis habet.

Sic ait, in celebri Faſtorum carmine, Naſo,
Vati, quis, tanto, nolit habere fidem?

Aſt ego, ut alma monet prudentia, non furor ille,
Phœbe, tuus, quæ ſint indè futura, canam.

Ferrea, Threicia te frangere cornua, Lunæ
Fata jubent; Fatis auxiliare tuis.

Utere ſorte tuâ, namque eſt occaſio calva,
Transfuga, ſi ſemel eſt, it nimis illa procùl;

Dùm calet, & candet, facile eſt convertere, ferrum
Quo velis, at durum, vel brevis aura, facit.

Arma calent invicta, tibi nunc, maxime CÆSAR,
Vertere quò cupias, non labor ullus erit;

Turcarum, contrà, gelidus, tenet omnia, terror
Pectora, & adverſi Numinis ira premit.

Nàm ſcelus, atque nefas quodcùque, triumphat in Aula;
Priſtina, Virtutis, ſemina nulla manent;

Nulla eſt Iuſtitiæ, nulla eſt reverentia Legum
Natura, perit, cùm pietate, Fides,

Publica pacta negat, ſacrataque fœdera ridet
Impia Gens, ſolam vim, putat eſſe DEUM;

Subſtinuit tamèn iſta diù DEUS *Optimus, ut nos*
Plecteret, at pœnæ nùnc putat eſſe ſatis.

Intemerata Fides tua, mens quoque candida, noſtræ
Nequitia, faciunt, ne meminiſſe velit.

Hinc licèt, aſſiduis, fuerit GERMANIA, *bellis*
Preſſa, ſuis ſempèr ſtat magis aucta bonis.

Implentur, Populis ſemper creſcentibus, Urbes,
Vìxque homines capiunt Oppida, Caſtra, Domus;

Inclytæ nobilitas, non mixto ſanguine, fulget,
Gentis, & intactus, jura tuetur honor.

Plebs quoque Militiæ cupida eſt, patienſque laborum,
Hoſtibus, & neſcit vertere terga, ſuis.

At contrà Turcæ ſpoliatas Gentibus, Urbes,
Si paucæ è multis excipiantur, habent.

Ruſtica, deſertis, ſqualleſcunt prædia, Campis,
Quos etiam raro, non niſi ſervus, arat.

Nulla eſt nobilitas, genus at ſervile triumphat,
Obruit inde, celer, vilia corda, metus.

Adde quod & nimium, Veneri, laxantur habenæ,
Nuptarum, quiſvis gaudet habere, gregem.

Hinc ſteriles degunt, rareſcit maſcula proles,
Iſtaque, ſervili ſanguine mixta, tepet.

No-

Nomen Militiæ, niſi vi cogente, repugnat
Tradere; quid mirum, ſi tremefacta, fugit?

Munera quæque Ducum ſunt hic venalia, ſæpè
Imperium Belli, transfuga noſter, habet;

Quilibet, immenſo, Præſes formatur, ab auro
Vivere ſi cupiat, cogitur eſſe latro.

Atque ideò, innumeris, ſunt devaſtata, rapinis
Omnia; nemo poteſt dicere quæ ſua ſint;

Cuncta etenim, arbitrio, ſunt demandata, Tyranni
Turcarum, quæ vult ſumere, jure capit.

Gens ſubjecta, jugo, nimis obluctatur, acerbo;
Deficit & robur, conſiliumque perit.

Quid faciant, miſeræ, tanto ſub pondere, Gentes?
Qui velit, Imperium ſumere, nullus adeſt.

Tradidit, infirmis, noſtrûm diſcordia, vires
Threiciis; ſit pax, Turcica Sceptra cadent;

Maxima pars Populi, CÆSAR, *ſacra noſtra tuetur,*
Teque petunt; tamen, eſt Græca cavenda Fides.

Perge precor fælix, Victor, nàm pauca ſuperſunt;
Ardua ſi ſuperes, cætera ſpontè cadent.

Sorte nimis fauſtâ, tua nùnc EUGENIUS, *arma*
Dirigit, audito hoc nomine, Turca fugit.

Imperat & ſacris Clemens *ſanctiſſimus: aurum*
Quà poterit: precibus ſed potiora, dabit.

His etenim, votiſque ardentibus, Æthera complens,
Auſpiciis, ſubdet Numinis arma, tuis.



DE

DE BELLIS

PRO CHRISTIANA REPUBLICA Contra Turcas Anno MDCCXVI. fœliciter geſtis.

LIBER SECUNDUS.

IAm fuerant habitura, ſuum, mea Carmina finem,
Et ſatis obſequii, ſatque laboris erat.

Difficile eſt etenim cultos componere verſus,
Et faciles, tales multa litura facit.

Hinc veteres, quos ſum, Vates, imitarier auſus,
Metra docent, quàm ſint evigilanda diù.

Quip-

Quippè ſuos, modicis, Elegos, ſcripſere, libellis:
Maximaque hæc longo tempore cura fuit.

Sic nempè incolumes poſt plurima Sæcula vivunt.
O' utinam, ſtudii meta ſit iſta mei.

Nàmque Elegos, Velis majoribus, ire coegi
Cùm decuit, tenui, cùm decuitque, modum.

In quo ſum Veterum veſtigia pauca ſecutus.
Sed nova, Venturis, nùnc via lata patet;

Talia dùm canimus; totam circumvolat Urbem,
Eximiumque refert nuncia Fama decus.

Et me magnarum Series, modo cognita, rerum,
Plauſibus altiſonis, ad nova metra vocat.

Vera canam, & cecini; Valeant mendacia Vatum,
Nam mihi poſteritas eſt habitura fidem;

Sint licèt hæc Ducibus, nimis invidioſa, vetuſtis:
Pace tua, Æmili, pace Luculle, tua.

Nèc te, Pompei, nec vos, duo fulmina Belli
Scipiades, pigeat nùnc habuiſſe parem;

Et qui Cæſarei, quod nùnc ſtat, nominis, Auctor,
Et quem percelebrem, Cymbrica pugna, facit.

Quot quot Romanis, memorati, annalibus extant
Inſignes bello; Græcia quot quot habet,

Te

Google

Te Socium, immenſi, non dedignantur, honoris
EUGENI, decoris dùm loca ſumma tenent.

Tu quoque, quem celebrat Numantia capta, Triumphis
Æmiliane, vides æmula geſta tuis.

Æmula quæ dixi, meliùs majora vocaſſem,
Parcere ſed verbis, nominibuſque decet.

EUGENI ſiquidèm generoſa modeſtia, pugnas
Immanes ſempèr vincit, & indè tacet.

Sèd tacet incaſsùm, totum, quod compleat, Orbem,
Æternum nomen Gloria quippè dedit.

Vincere qui novit, ſed Palmis neſcius uti
Hannibal, à te, quod diſcere poſſit, habet.

Viciſti ſiquidèm, non te Victoria tardum,
Sed cautè audacem, ſollicitumque facit.

Scilicèt attritis, Turcarum, EUGENIUS, Armis,
Dic mihi quid jubeas, Inclyte CÆSAR? ait,

En Via lata tuis patet undique, & undique, turmis;
Quò lubet ire licet; Vincere cura mea eſt,

Non procùl, & paucis, manet Urbs adeunda, diebus,
Terribiliſque armis, difficiliſque ſitu;

Nomine barbarico, Gens, hanc, vocat illa, Temeſvar;
Attila (ni fallor) Conditor ipſe fuit.

Quæ

Quæ bis ſeptenos, fuit olim obſeſſa, per annos,
Et ſolæ potuit ſuccubuiſſe fami.

Romanis, nimium celebris Numantia, Chartis
Hujus in aſpectu, vix loca prima tenet.

Durum opus eſt CÆSAR; *ſed tendit ad ardua Virtus;*
Virgo favet; ſatis eſt ſi favet illa; jube.

Annuit ad Sanctum memoratæ VIRGINIS *Omen*
CAROLUS, *& tali ſub Duce, dixit, age.*

Dux ſubitò mandat feſſas requieſcere turmas;
Signaque, poſt paucos, indè movere, dies.

O' utinàm poſſem ſectari exempla Maronis,
Enumerando globos, commemorando Duces.

Quin varios etiàm Belli deſcribere Caſus
Non datur; eſt Elegis vanus, ad iſta, labor.

Altiùs intonui, numeris, quàm fortè liceret
Imparibus, placuit cùm cecinisse, tubâ.

Si tùnc difficilis, fœlicitèr, alea ceſſit,
Et modus ille novus; non iterare decet.

Adde quod occurrunt, verbis, minus apta, latinis
Nomina, non ullis emodulanda metris;

Nèc cunctis, licet, emeritæ, dare munera, laudis;
Et paucis datus eſt invidioſus honor.

At

At Bellatores, Proceresſque redundat in omnes,
Gloria ſupremi percelebrata Ducis.

REGIUS EMANUEL, *Regali ſorte, ſolutus*
Legibus his, iterùm commemorandus erit.

Nomen & alterius, noſtris ſit verſibus, opto
Percelebris, ſi quid Carmina noſtra valent;

Et reliquos, totum celebrans, modo Fama, per Orbem,
Dat decoris partes, unicuique ſuas.

Vix pauci fluxere dies; monet ecce tubarum
Clangor, ut indictum ſuſcipiatur iter.

Nec mora; quippè dedit multos congeſta per annos
Armamenta, prior pugna; vacatque nihil.

O'Te fœlicem, ò ſors tibi candida, CÆSAR!
O' Regna Imperii, facta beata, Tui!

Scilicèt invitus, largè tibi congregat, Hoſtis
Ferrum, plauſtra, boves, integumenta, cibos.

Vix sàt erat tantis, Germania tota, parandis
Sumptibus; boſve Tibi, congerit una dies.

O' præclara dies, cunctis, memoranda, diebus!
Virgineæ, nobis, quàm peperere, nives.

Ergo viam carpunt, fœlicitèr, agmina certis
Ordinibus; quamvìs non ſit ab Hoſte timor;

Poſtve dies paucos, lethum minitantia, cernunt
Mœnia, vix tutò conſpicienda, procùl.

Nàm ſe ſe attollens, plana in Tellure, Temeſvar
Protinùs, ignitos, eſt jaculata, globos.

Stare acies mandat, conſpectâ, EUGENIUS, *Urbe;*
Poſſit ut indè, ſuis, mittere ſigna, locis.

Et longè appoſitis, præcingere mœnia, Caſtris
Ut tutâ, valeant, obſidione premi.

Labitur ante Arcem, foſſiſque amplectitur Urbem
Flumen, quod Temeſin, barbara lingua vocat:

Inſula ſic oritur, naturæ manus, & Artis,
Tuta ſatis ripis, aggeribuſque ſuis.

Sed nihil hoc reputes, ſpectes ſi cætera; nullus
Poſſe capi credet; capta fuere tamen.

Nàm limoſa palus toti, penè adjacet, Arci,
Hacque ſuas, gyro fluminis, auget aquas;

Arx quoque, constructo ſudibus, trabibuſque, lutoque,
Et ſurgente in aquis aggere, fulta manet.

Nec ſatis hoc; foſſis, circumvallata, profundis;
Urbis quà ſpectat mœnia, flumen habet.

Atque cavis circùm ſtat, plena Corona, metallis,
Pulvere fulmineo, quæ furioſa tonant.

Re-

Remigio alarum hic ire, atque redire volucres
Poſſunt; militibus vix licet eſſe procùl.

Parte aliâ, totam, quæ latè amplectitur, Urbem,
Quà palus areſcit; profuit artis opus.

Scilicèt occurrit, curvato margine, Vallum,
Aggere, quod, vaſto, ſubſtinuere trabes.

Subjacet, & circùm, convexo, lata, profundo,
Partito, turgens, flumine, foſſa fluit.

Poſt altè aſſurgit, ſtabili munimine, tellus,
Urbem, circuitu, protegit iſta ſuo.

Undique, Roboribus, moles ſtat fulta, præuſtis,
Contextæque trabes ſubſtinuere ſolum.

Clauditur hoc ſpatium, magnæ, quod ſuppetat, Urbi,
Suntque ſuburbanis hic, loca plena, caſis.

Bis ſena attollunt ſe propugnacula circùm,
Suprêmumque, frequens pinna, coronat opus.

Iſtaque tormentis, & forti milite, complet
Thracum, terribilis, provida cura, Ducis.

Hoc igitur vaſto munimine cingitur, Urbis
Ambitus, & muris clauditur illa ſuis.

Fortia, ſed duplices, circumdant mœnia, foſſæ,
Quarum, fluminëis, ora replentur aquis:

Hic Urbiſque, Arciſque ſitus. Non eſt, Eugenius *inquit,*
Cunctandum; cogi Conciliumque jubet.

Quiſque videt, Proceres, Naturæ viribus, Arcem
Quà palus eſt, tutam; quid ſtatuemus? ait;

Nil puto tentandum; ſat erit præcingere, Vallis
Cuncta, ſuis? Placet hoc, Conſiliumque probant.

Altera pars totam latè, quæ reſpicit Urbem
Pauca paludis habet ſtagna, vacatque locus.

Hic ſternenda via eſt, majore retunditur arte
Virtuti cedens, quodlibet artis, opus.

Nil verbis opus eſt; Autumni tempora longis
Quæ propè, cùm pluviis, ſtant, properare jubent.

Multa paranda manent, veſtrę ſint omnia curæ,
Præſtet & Officii munera, quiſque, ſui.

Non ego ſegnis ero, ſubeamque pericula, lætus,
Et peragam imperio, quæ peragenda, meo.

Nos, DEUS Omnipotens, *Fidei ſacra Iura, tuentes*
Hoſtibus, haud voluit ſuccubuiſſe, ſuis.

Vicimus innumeros, numero nimis impare, pauci,
Hoc Virtutis opus, quàm DEUS *ipſe dedit.*

Virgo Parens, *noſtris, fauſtè quæ præfuit, Armis,*
Sæpè favet votis, propitiata, meis.

Et

Et mihi ſæpè fuit victoria parta diebus
CHRISTIPARÆ ſacris, hoc meminiſſe juvat;

Nàm propè Sancta manent, tantæ, Natalia, Divæ,
Et ſacra, Virgineis, feſta dicata, Roſis.

Nempè dies menſis, qui circumlabitur iſtum,
Perpetuò, nobis, commemorandus erit.

Sic mihi mens ſpondet, ſed erit ſudore parandum
Ad decoris, quid quid, Nos, Loca Summa, feret.

Præmia non memorem, noſtro, tribuenda, labori,
Nàm Deus ampla nimis, CÆSAR & ipſe dabunt;

Dira ſuperſtitio Mahometis, noſtra profanat
Templa, ſacras repulit, Turcica Luna, Cruces.

Dedecus hoc, tetrumque nefas avertere, noſtro
Sanguine, ſi liceat, quis doluiſſe velit?

Non ego, nèc quiſquam veſtrûm, queis vita perennis
Creditur hoc fragili, dignior eſſe, luto.

Excipiunt Proceres ingenti, talia, plauſu;
Quiſque cupit, Vitæ, prodigus, eſſe ſuæ.

Poſt abeunt, vaſtoque parant Tentoria, Gyro,
Quæ, prævallatis, impoſuere, locis.

Sed quia res poſcit, trabibus, contexere, Pontes,
Stipitibuſque cavas ſubſtruiſſe vias.

Itur

Itur in antiquam, quæ ſurgit proxima, Sylvam,
Ruſtica, cùm forti milite, Turba venit.

Roboraque, innumeris percuſſa bipennibus, alta,
Fraxinus, & Quercus, procubuere Solo.

Fervet opus, ſtrepituſque, propinqua ad mœnia, fertur,
Concutit & gelido, Turcica Corda, metu:

Sic nemus omne cadit; vaſtoſque, Gementia, truncos,
Ingenteſque trabes, Plauſtra, Sudeſque ferunt.

Materiæ poſtquam Moles immenſa reſedit
In Caſtris, facilè poſſit ut indè trahi;

Congruit & propiùs tentare pericula Martis,
Dux, vallum ſcindi, nocte ſilente, jubet.

Nèc levis hic labor, at magnæ pars maxima curæ,
Perque Duces, meritò, præmeditata diù.

Nàm tentare Solum quà ſit penetrabile, quàve
Sit foveis aptum, Plumbea grando vetat.

Terram igitur, circùm, ſpeculis rimantur ab altis,
Deque aptis ſtatuunt, conveniuntque, locis.

Intereà, Dux, obſeſſæ, qui præſidet, Urbi,
Æſtuat, & curis angitur uſquè, ſuis:

Cuncta videt foſſis, jàm penè incluſa, profundis,
Quæque vacant, craſſa, ſtagna, paludes habent.

Nèc

Nèc ſpes auxilii fulget, niſi vana, futuri;
Eſt etenim Scythicis, pondus inane, globis.

Attamen EUGENII *fuerit cùm Miles, & olim*
Captivus, Thracis, ſacra ſecutus, Heri;

Ac poſt militiæ gradibus provectus, honoris
Noluit antiqui, non meminiſſe, ſui;

Militibus ſiquidem, Populoque ad ſigna, vocatis,
Spem vultu ſimulans, talia dicta dedit.

Compulſas, magni Mahometis Numine, Cives,
Theutonicas turbas, hùc properaſſe putem;

Scilicèt ut luerent, ſcelerato ſanguine, pœnas
Commiſſis nupèr, quas meruere, ſuis;

Illius, ex auro, ſignum, Vixîris ab Ara,
Proh ſcelus! impurâ ſubripuere manu.

Impia quæ fuerint tanto ludibria Vati,
Heu, Sanctus, prohibet commemorare, pudor.

Hùc tot ſacrilegos, deriſoreſque nefandos
Miſit, ut attritos contegat iſta Palus.

Facta ego, præterita, taceam crudelia, pugnæ,
Victors, quamvis debuit eſſe modus.

Sic erat in Fatis; Primos, qui fœdera Pacis
Fregerunt, pugnam perdere Fata jubent;

No-

Noſtrorum ſcelus hoc; decuit ſuccumbere Fato,
Et ſcelere, autores occubuiſſe, ſuo.

Nos contrà inſontes, noſtram, defendimus, Urbem,
Naturæ ſic Lex, faſque, piumque, jubent;

En nobis Tellus, nobis quoque militat Æter,
Nubila, Vos, juſſo tempore, fertis aquas.

Ut limoſa Palus protendat longiùs undas,
Occupet, & ſicci, jugera multa, ſoli;

Nè tandèm, ſævi, pugnando cominùs, Hoſtes,
Eludant; vallis, fulmina noſtra, ſuis.

Magna moræ merces, tempus dabit omnia; paulùm
Hoſtiles, ſatis eſt impediſſe, gradus.

Mœnia nos cingunt, duplici, fortiſſima, gyro,
Præſidium, in multis non minus extat, aquis.

Nèc timuiſſe famem nobis datur, Horrea longè
Supplent, Armorum ſuppetit omne genus.

Attamèn ignavo, nos hic, torpôre, morari
Dedecet, & turpis ſigna timoris habet.

Audaces Fortuna juvat, prohibere neceſſe eſt,
Nè totum, Vallo, perficiatur opus.

Terdenas igitur, noſtrâ de Gente, Cohortes
Viribus inſignes, conſtituiſſe velim.

Quæ-

Quælibet eximiis centum ſit plena, feriſque
Militibus, ſtimulet, quos Mahometis honor.

Curent, incautos, invadere protinùs Hoſtes;
Virtutiſque ſuæ præmia quiſque feret.

Sic ſtatuunt; ſubitòque viri, dant nomina, fortes,
Certatìmque, acres proſiluere Duces.

Nèc mora; denſato prorumpunt agmine, longos
Et taciti properant accelerare gradus.

Donèc ad excubias rumor pervenit, & indè
Clamorem attollunt, agglomerantque minas.

Riſerunt vanas, juſtis ſinè viribus, iras
Theutones, & verbis vincere turpe putant.

Extemplòque ſuis, accurrunt undique, turmis,
Foſſa ubi non ſupereſt, ac via lata patet;

Emittunt, nimiùm celeres, ſua fulmina, Thraces,
Protinùs, incaſsùm grando ſed iſta volat.

At contrà Auſtriaci, lentis progreſſibus, urgent;
Tela, ſed in Turcas, irrita nulla cadunt.

Et pugnam expediunt, peracuto, cominùs, enſe,
Mille cadunt fortes, cætera turba, fugit.

Theutones exclamant, ſalva eſt res, millia nempè
Hùc tria venerunt, aſt abiere duo;

H *Exci-*

Excipiunt pavidos confeſtim, mœnia, Turcas,
Conatur, paucis, Dux cohibere metum.

Eximium verò decus, & ſpolia ampla tulerunt
Millia tot, paucos ſi repulere Viros!

Accedant propiùs muris, hæc agmina, noſtris,
Et renuent faſtus, percelebrare, ſuos.

Nos ſatis, egregio, ſortem tentavimus, auſi,
Poſt tutò, palmam fulmina noſtra dabunt.

Hæc ait, & curas, turbatâ mente, revolvens
Aggeribus fulcit, mœnia cuncta, novis.

At non elatus, fauſtis EUGENIUS, *armis,*
Turcarum, hæc miſit verba legenda, Duci.

Sæpè fuit moris, Præſes fortiſſime, noſtri
Vincere, Victrices, & cohibere, manus.

Vicimus; ante tamèn, magnæ diſcrimina pugnæ,
CÆSARIS *accendit pectora, pacis amor.*

Quid non tentatum, Princeps, ne fœdera, Veſter
Irrita, poſt habitâ, vellet habere, fide?

Maluit, injuſto, ſecùm contendere, bello;
Nequitiæque ſuæ præmia digna tulit.

Belli jura tenes; violato fœdere, quid quid
Victus habet, Victor ſumere jure poteſt.

Urbs

Google

Urbs hæc, Pannonico, fuit olim ſubdita, Regno;
Sponte igitur, Regi, mœnia redde, ſuo.

Sic poteris mecum æquâ conditione paciſci;
Ni facias; Iudex, ignis, & enſis erunt.

Auxilii ſpes eſt nulla, aut vaniſſima; ſummus
Detinet, atque premit Turcica Regna, metus.

Cedere quid renuis latè Victricibus Armis?
Si tibi non curas parcere, parce tuis.

Nec puto ſacrorum fideique, oblitus, avitæ,
Exhorres CHRISTI *Nomen amare; Vale.*

Perlegit hæc Præſes, domiſque, & honore ferentem
Exornat, mòx, hæc ſcripta referre jubet.

Et tua, me, Virtus, ſplendens & Regia cogit
Progenies, forti, non patienda, pati.

Scilicet inceptâ vix obſidione, Temeſvar,
(Quo nullus, toto, fortior, Orbe, locus.)

Verborum Cumulo, jactatis viribus, audes
Poſcere, & indè meam ſollicitare fidem?

Quis ferat hæc? ſed nos tulimus, qui maxima, factis,
Vulnera, verba pati, ſors inimica, jubet:

Attamen EUGENI, *non dedignabere; morem*
Reſpicere inſtabilem, ſtantis in Orbe, Deæ:

Durum opus aggrederis; dura experientia, Princeps,
Me, tibi, vera nimis, ſcribere, Teſtis erit.

Non ego diffiteor, quamvis, nimis ardua tentes,
Omnia, Virtuti, cedere poſſe, tuæ.

Urbem ſi capias, nullo certamine, talem,
Hoc mihi turpe, tibi gloria nulla foret.

Non me vel cædes, vel dira incendia terrent,
Sed cor ſollicitat, Numinis ira, meum.

Forſitàn hæc poterit fieri placabilis in nos;
In vos converti forſitàn illa poteſt.

Parcere demiſſis, & debellare ſuperbos
(Experti hoc ſumus) Numinis ira ſolet.

Nec jactura gravis; noſtri vaſtiſſima moles
Imperii; facilè defluet indè metus.

Si mutare fidem, belli fortuna coegit;
Nunc DEUS *ipſe facit, ſacra quod iſta placent.*

Non ego ſum belli Iudex; non Iura, ſed Arma
Quive potens magis eſt, Regna, locoſque tenent.

De ſervo miles factus, de milite Præſes,
Principis, haud poſſum non meminiſſe, mei.

Fecimus, his lectis (Princeps Eugenius *inquit)*
Quæ fieri Belli mos, pietaſque jubet.

Con-

Congrua reſpondet Præſes; nec plura decebat
Expectare; dabit, Marte jubente, manus.

Sed quid conterimus, pretioſi temporis, horas
Dùm ſcindi vallum, nox tenebroſa, monet?

Protege, VIRGO PARENS, *operis primordia noſtri,*
Implorans NATI *Numen, ad iſta,* TUI;

Ut valeant tot Templa, Tibi, NATOque, *ſacrari,*
Atque iterùm, verâ Religione, coli.

Hæc fatus, mandat foſſoribus hoſtia Valli
Pandere; & indè, ſuis fauſta precatus, abit.

Publica nempè ſalus, niſi ſit, ſubiiſſe, neceſſe,
Longè, ſupremum, mandat abeſſe, Ducem.

Fortuitò ſiquidèm per jatum, & aperta cadentis
Aggeris, à Muris fulmina miſſa volant.

Inclytus EMANUEL, *nimio Virtutis amore,*
Accenſus, Fato proximus indè fuit.

Fama etenim cupidas, generoſi Principis, aures
Perculerat, ſterni, nocte ſilente, viam;

Quâ tectæ aggeribus, tendant ad ſæva, cohortes
Mœnia, nè callem turbet ab hoſte, timor.

Ardua diſcendi nimis anxius; atque videndi
Progreſſum tantæ, principiumque rei.

Æſtuat

Æſtuat, & quamvis nocturna, membra, quieti
Iàm dederit; curæ pervigilare jubent.

Ergone Fratris opes, & Regia tecta, reliqui,
Somnus ut in Caſtris, tempora noſtra, premat.

Proh Regale decus! Vallo tutante, morari
Longiùs, atque oculis, parcere velle, ſuis:

Dùm fit opus, belli, eximium, dùmque hoſtia Marti
Panduntur, tutâ queis licet ire viâ.

Scilicèt indulgent ſegni, dùm noſtra, ſopori.
Lumina, tàm dignum perficietur opus?

Non ego viſa, meo Fratri, Regique, ſed illa,
Quæ retulere alii (proh dolor!) acta canam?

At perhibent, ſciſſo, facilè eſt ſe ſiſtere, Vallo;
Sed revocare gradus, hoc opus, hic labor eſt.

Ferri quippe globis, plumbique volantibus, ardens
Quoslibet, hùc, illùc, trux Libitina, petit.

Nèc Regum parcit ſoboli, nec Regibus ipſis,
Sorte ſed ancipiti, quos ferit, illa necat.

Quid faciam infelix? in partem raptor utramque;
Meque trahit Virtus, me retrahitque ſalus.

Virtus vincat, ait, noſtros, DEUS *adjuvet, auſus,*
Servet & auſpiciis me, PIA VIRGO, *ſuis.*

Sic

Sic Fatus, petit arma, ferox fert Armiger arma,
Tu ſolus mecùm, dixit, amice, veni.

Vectus equo celeri, ſolo comitante ſodali,
Devènit, properans, ad loca plena metus.

Namque opus inceptum, ruptumque pateſcere, Vallum
Cepit, & in dextrum, linea ducta, latus

Aggere tranſverſo, foſſiſque, cavata profundis,
Quæ tutum ſternit, mœnia versùs, iter.

Intereà tormenta tonant, ſed cæca feruntur
Fulmina, ſublatum percutiuntque ſolum;

Donèc puniceo, Pallantias, exit amictu,
Atque diem, roſeis, candida vexit, equis.

Tùnc vix, ambiguæ, nituere crepuſcula, Lucis.
Aggere non tectos, ignea tela, petunt.

Sivè refulſit eques gemmis, auroque coruſcans;
Seù galeæ, Luna luce micante, jubar;

Conſpexere Hoſtes, quà valli rima fatiſcit,
Principis excurſus, & monuere Ducem.

Dux ſubitò exultans, fortè eſt EUGENIUS, *inquit,*
Hunc igitur ſolum, fulmina noſtra, petant.

Hinc transfodit equi coſtas; in Principe, dextri
Deraſit cruris, ferrea gleba, latus.

Con-

Concidit exanguis Sonipes; ſe ſe extulit acer
EMANUEL; nullo, corda, timore pavent;

Militiæ mihi ſigna dedit Mars horridus; inquit,
Hæc mihi, perpetui, cauſa decòris erunt.

Sic latere infirmus dextro, ad Tentoria fertur
Cogitur & , molli, tradere membra, Toro;

Accurrit ſubitò, medicæ, doctiſſimus, artis,
Inſpicit & vulnus, nilque timère jubet;

Parcere ſed dapibus, placidæ indulgere quieti
Admonet, & Bacchi munera noſſe vetat.

Multa ſalutiferis permiſcet balſama ſuccis,
Lataque, non ſævi vulneris, ora tegit.

Poſtquàm fama tulit Caſtris, procùl eſſe timorem
Circumſtat Procerûm plena Corona, Torum.

Adfuit & læto, PRINCEPS EUGENIUS, ore,
Gratulor, inquit, erit nam tibi certa ſalus.

Perpetuòque ſtabunt, tantæ, veſtigia, laudis,
Virtutiſque tuæ crus tibi teſtis erit.

Sic coràm; ſed poſt, monitis, non lætus, amicis
Aggreditur Iuvenem; res benè vertit, ait.

Sed ſatis eſſe puto; Paucis, mihi, grandior ætas,
Officiumque, & amor dent mihi, poſſe loqui.

Stre-

Strenue, crede mihi, Non omnibus, Omnia, Princeps,
Conveniunt; decus eſt, unicuique, ſuum.

Te cohibere decet generoſi pectoris auſus;
Cures, nè nimius ſit tibi laudis amor.

Gloria pulchra quidèm, nimiùm ſed amata, recedit;
Spontè ſuâ ſequitur, nàm Sapientis, Iter.

Laudis, ſemper erit, ſumma, contemnere lethum,
Cùm jubet, Officii, publica cauſa, ſui.

Si velis incautè, telis occurrere Fati,
Prudens, qui laudet talia, Nullus erit.

Noſce: fuit longè, digito, non ampliùs, uno
Quæ fœnum, & flores, Mors violenta, ſecat.

Qui dolor & Regis, Qui CÆSARIS, *indè fuiſſet,*
Qui mihi, ſi quid erat? ſed procùl, Omen, abi

Non ego promeritæ, fraudem te munere, laudis,
Sed generoſa minus ſint tibi corda, precor:

His contrà EMANUEL: *Virtus ſuprema, Magiſtrum,*
Atque Patrem, ſummus, te mihi, fecit Amor.

Quæque mones, memori, Princeps, ego mente tuebor.
Hæc erit, Officii, gloria ſumma, mei.

Ducitur intereà, tranſverſo margine, Vallum,
Et tutum, contrà mœnia, præſtat iter.

I *Poſt*

Poſt via, verticibus ſinuoſa, cavatur, ut altè
Flexibus, armatos, protegat illa, ſuis.

His Bellatores tecti, propè limina foſſæ
Agmen agunt, tutâque, hìc, ſtatione manent.

Altiùs indè, duo ſic propugnacula, tollunt,
Ut grandes jaciant, vaſta metalla, globos.

Hiſque petunt, magni, muros muniminis, & Vi
Summâ, deiciunt fragmina, ſaxa, trabes;

Pars etiàm eructat, ferrati corticis, orbes,
Qui priùs alta petunt, protinùs indè cadunt.

Et ſecùm duplices referunt, per Inane, ruinas,
Pondere nàm frangunt, perterebrantque Domos.

Cùmque ſolum attigerint, clauſo, rumpuntur, ab igne,
Vulneraque, & flammas, per latus omne, vomunt.

Perque dies, nocteſque, iteratis ictibus, urgent;
Fulmina quot fuerint quis numerare queat?

Mænia texta etenìm trabibus, ſudibuſque, lutoque
Sint terebrata licèt, ſe, tamen, ipſa regunt.

Sed, graviore malo, flammæ graſſantur in Urbe.
Quavè, ſuburbanis, ſtant ſita tecta, locis.

Omnia nàm tabulis, & lignis conſita, ſiccis,
Pinguia, Tardipedi, dant alimenta, DEO.

Hinc

Hinc fletus miſerorum, fœmineoſque ululatus
Venti, per Sylvas, & loca lata, ferunt.

Circùm fama ſalit, ſuprema pericula muris
Ingruere, avulſi, ſtet niſi prompta, manus.

Agminibus penetrare ſuis, propè mœnia, Thraces
Tentant, ſed cæſi, dant ſua terga fugæ.

Indè licet crebrò, muros muniminis, ictu
Frangere, & abruptâ pandere, parte, viam;

Iàmque patent, ſupereſtque nihil, niſi mittere pontes
Sublicios foſſæ, ne remorentur aquæ.

Sed jàm fauſta dies, Octobris, nata, Kalendis,
Omine fœlici, percelebranda venit:

AUGUSTI, *ſiquidèm Natalia,* CÆSARIS *affert;*
Grande opus & fieri, ſe veniente, monet.

Nempè dies, toti, tantum quæ profuit, Orbi,
Dùm redit, nimii ponderis Omen habet.

Vix igitur roſeis ſurgens Aurora Capillis
Ceperat, ambiguæ lucis, habere jubar;

Cùm lecto properè exurgens EUGENIUS, *inquit,*
VIRGO PARENS, *ceptis, auxiliare meis.*

Perque tuas, colui quas nupèr, Candida, cunas
Obſecro, perque Roſas, quas propè cerno, tuas.

Hâc me, ſumma manent vitæ diſcrimina, luce
A ſummo peragam, ſi peragenda, Duce.

Imis, fauſta ſibi, cordis penetralibus, audit
Promiſſi; lætus carpit & indè viam.

Quà truculenta patent, fracti, ſpectacula, muri,
Et quà, projecto Ponte, paranda via eſt.

Plumbea grando, Viros, & ferrea fulmina, mactant
Qui propè ſunt; terrent, non tamèn iſta, Ducem;

Poſt luſtrata, ſuis oculis, circùm omnia, vidit,
Terribili acceſſu, mœnia poſſe capi.

Mandat ſublicios, adverſa ad littora foſſæ,
Sex micti Pontes, hæſit at iſte labor;

Nàm, gravitate ſuâ, fuit alter inutilis, alter
Vix valet AUSTRIACOS *ſubſtinuiſſe globos.*

Omnia ſed vincit quantumvis ardua, Virtus
Militis, hanc, ipſæ non cohibetis Aquæ.

Pergite fœlices, capto hoc munimine, ad Urbis
Mœnia, poſt, facile eſt ſternere poſſe viam,

Sunt hodiè Auguſti Natalia CÆSARIS *(inquit*
Dux ſummus) nobis hoc meminiſſe ſat eſt;

Intereà curas, turbatâ mente, revolvens,
Secum ait, heu, citiùs, tranſeat iſte Dies.

Nàm

Nàm ſtabit, multò, Victoria, ſanguine, multos
Auferet heu fortes, eximioſque Viros!

Hoc Belli Fatum, nullum, ſine ſanguine, Bellum,
Qui timet hoc, ſtultè deſerit, ille, Lares.

Ergo operi huic magno, Magni qui Nomen, & Omen
Geſtat Alexandri, præficiendus erit.

Scilicèt hic ipſe eſt Dux Vittembergius, altum
Qui geminat, Cordis nobilitate, genus.

Dux contrà; hìc meritas, tanto prò munere, grates
Mox referam, victor, ſi mea Fata ſinant,

Continuòque, hilari, converſus ad agmina, vultu,
Vicimus, ò Fortes, ſi properemus, ait.

Parte aliâ noſtri, fictis terroribus, Hoſtes
Dùm retinent; verum, hìc, perficiemus opus;

Pontibus injectis, pars veſtrûm tranſeat undas,
Pars, mecùm irriguas ingrediatur aquas.

Et tormenta tonent, adverſaque littora nudent
Militibus, simùl & plumbea grando pluat.

Fragore horribili reboat Cœlum omne, tremiſcit
Terra, cadunt volucres, & nemus omne gemit.

Haùd præviſa premit, tempeſtas horrida, Turcas,
Qui contra Ripas, & loca plana tenent.

Mors furit, & vivo, denudat, milite lectus,
Sævius, & frendens, ulteriora petit.

Eja agite, ò Socii, Dux Vittembergius inquit,
Tempus adeſt; medias deſilitque in aquas.

Obſtupuere omnes, invicti Principis auſu,
Quiſque ſuo, propior vult comes eſſe, Duci.

Tranat aquas celer, adverſoque in littore ſiſtit
Se impavidum, atque Hoſtes cominùs enſe ferit.

Hinc properante, gemunt numeroſo Milite, Pontes,
Iàmque, adverſa, virûm millia multa tenent.

Iàm datur in planis, æquo, concurrere, Marte,
Et ſimùl armatas conſeruiſſe manus.

Vixque, ſuis, licet, ordinibus, firmare cohortes,
Signaque præſcriptis diſpoſuiſſe locis;

Cùm ſubitò irrumpunt, elato vertice, denſis
Agminibus Thraces, præcipiteſque ruunt.

Nàm perſæpè redit, tremefacta in pectora, Virtus,
Et rapit, excuſſo, corda, timore furor.

Theutones excipiunt alacres certamen, & urgent
Igne priùs, gladiis cominùs inde premunt.

Ardua ferveſcunt, atroci prælia, Marte;
Corpora multa cadunt, ſanguis utrinque fluit.

Fortis Alexander Dux Vittembergius, ictu
Saucius ignito, ſic furibundus ait,

Quæ mora, bis victos, retinet propellere Turcas?
Qui nobis reditus? ſtringite, terga dabunt:

Exagitata auget vires, pugnantibus, ira
Theutonicis; contrà, Tracibus illa tepet.

Nàm prompti reditus, facileſque, ad tuta, receſſus
Suadent, ulteriùs vulnera nolle pati.

Sic pugnam linquunt, capto, Dux, tempore, Vallum
Tollere, poſpoſita, præcipit ille, mora.

Tollitur, & tutus, firmo munimine, Miles
Excubat; aggeribus diùm reparatur opus.

At Valli ignarus, renovato Milite, Præſes,
Advolat, & feſſos ſternere poſſe putat:

Fallitur at miſerè, nàm firmi mœnia Valli
Repperit, atque novi Militis ora videt.

Tentat adhùc pugnam; at multa cùm cæde ſuorum
Pellitur, & trepidans in ſua Caſtra redit.

Hactenùs exarſit Mavors, paſſimque, cruore
Biſtonio maduit, Theutonicoque Solum.

Sed poſtquàm MARIÆ Sacrata Rosaria *Feſtum*
Conſtituere diem, mitior ira fuit.

Nàm

Digitized by Google

Nam Turcæ firmare novi, molimina Valli,
Ut tectâ ſiſtant in ſtatione, parant.

Atque idem labor eſt, capto munimine, nupèr
Qui fuit, atque metus non minor indè manet.

Si geminas ſuperare detur, certamine, foſſas,
Fractaque tormentis mœnia poſſe capi.

Sed fuſis, Clemens, *ad* Sacra Rosaria, *votis,*
Romaque, Virgo, *tuas promeruere preces.*

Queis DEUS omnipotens *muros, ſine ſãguine,* Cæsar,
Imperio, voluit ſuccubuiſſe, tuo.

Hunc Populum vidi, ſexdenis millibus, ædes,
Virgo, *adiſſe tuas, cùm tibi dixit,* Ave,

Quæque olim Gabriel *ſuperaddidit, alta locutus,*
Ut fieres, firmâ Virginitate, Parens.

Undè tuo, fluxit magnum illud, fiat, *ab ore,*
Cujus ab aſſenſu eſt, noſtra redempta Salus.

Et quæ poſt etiam tibi dixit Elisabeth, *alvo,*
Senſit ubi puerum ſubſiliiſſe, ſuo.

Ergo ubi feſta dies, Roſeo ſe protulit ore,
Turcarum tetigit pectora Pacis amor.

Quid miſeri, exclamant, noſtræ, expectamus amarum
Virtutis fructum, quem mora longa dabit?

Quid

Quid non pertulimus? tentavimus omnia fruſtrà;
Omnis & auxilii ſpes quoque vana fuit.

Munimen, quod diximus inſuperabile, captum eſt.
Mille ſuburbanæ procubuere Domus.

Theutones en raptim, foſſæ propè littora, tendunt,
Spes (ſi perveniant) nulla ſalutis erit.

Omnes, crudeli, miſerè jugulabimur enſe,
Nì bona ſors dederit, ſubdere colla jugo.

Poſſumus at contrà nos, & bona noſtra tueri,
Si juſtâ, placeat conditione frui.

Parcere ſæpè ſolet; vincitque EUGENIUS *iram.*
CÆSARE, *nil, ingens, mitiùs, Orbis habet.*

Talibus incaſsùm, vigilans, occurrere Præſes
Tentat, & auxilium non procùl eſſe refert.

Spem ſimulat, lætuſque exultat, Inania fingens;
Pectore ſed trepido non minus ipſe timet.

Quippè videt, paucis, ſe fingere poſſe diebus,
Nì properè Vexir Norica Caſtra premat.

Talia qui referat, Tauruni ad menia, mittit,
Qu d nunc Belgradum barbara lingua vocat.

Poſcit opem; ſi non veniat promptiſſima; jurat,
Urbem per modicos poſſe manere dies.

Indè

Indè monet, Turcas, horrendâ cæde, necandos,
Quodve omnes, miserè, diripientur opes;

Nì jubeat Vizir, certâ ſub lege, paciſci,
Quâ liceat, ſalvis omnibus, ire procùl.

Reſpondet, paucis Dux maximus; Ipſe videbis,
Quid fieri expediat, qui propè cuncta vides.

Credita nempè tuæ, tanta hæc ſunt mœnia, Curæ,
Tot ſervare Viros, hæc quoque cura tua eſt.

Ferre tibi auxilium fruſtrà tentavimus, iſtud
Ampliùs haùd ſperes; cætera noſſe tuum eſt.

Perlegit hæc, Thracum, magnâ cingente Coronâ,
Præſes, & à Socii, quid faciemus? ait.

Quiſque ſua, referat, quæ ſit ſententia mentis,
Ipſe libens taceam, conſiliumque ſequar.

Nil verbis opus eſt, ait è ſenioribus Unus.
Aut pactis datur Urbs, aut opus ante mori.

Si morimur, fateor, non hic moriemur inulti,
Sed vereor ne ſit, nos periiſſe, bonum.

Nàm facilè Princeps, ſine fine, dolebit, acerbo
Funere, tot fortes interiiſſe Viros,

Queis opus in Bello, quod ſemper creſcit, habebit;
Quin ſervare auri pondera multa decet,

Sum-

Sumptibus, ut liceat, truculenti, occurrere, Belli,
Ex auro nervos nam fera bella gerunt.

Quid juvat hanc Urbem, paucis, tenuiſſe diebus,
Si poſt, hanc miſerè perdere Fata jubent?

Ergo ego ne pereant tot opes, tantæque Cohortes,
His ſalvis, tradi mœnia poſſe, puto.

Aſſenſere omnes, ſtatuuntque, ad mœnia, Pacis
Candida, venturo, ponere ſigna, die.

Scilicet octavâ, poſt Sancta Rosaria, *Luce,*
Virginis *obſequiis, quæ quoque ſacra manet.*

Sic ſtatuunt Turcæ; fortemque Temeſvaris Urbem
Tradere conſtituunt; Cæsareosque *monent.*

Proxima lux addit monitis certiſſima ſigna,
Et geminos, Præſes mittit ab Urbe, Duces.

Sic totidem legat Proceres Eugenius *Urbi,*
Hæc etenim, fides pignora, Bella tenent.

Publica, quæ fuerint, ſint Cæsaris; *omnia Privat*
Libera ſint; Dominis reſtituenda ſuis.

Quiſque velit, captâ, liber prodibit, ab Urbe,
Tutamen Cæsar, *plauſtraque mille dabit.*

Fœderis hæc ſumma eſt; Thracum ſed pectora terror
Occupat, & gelidus, concutit oſſa, timor;

Dum

Dùm meminere olim violati Fœderis, iſtam
Cùm cepere Urbem, per ſcelus, atque nefas:

Nàm licèt incolumis, per Fœdus, poſſet abire
Miles, millia bis quinque dedere neci.

Undè timent meritò, nè Fato cedat eodem
Sancitum Fœdus, quod ſtatuiſſe piget.

Et renuunt Portâ decedere, at inclyta Virtus
EUGENII, *ſuadet, ceſſet ut iſte metus.*

CÆSARIS *eſt, ſervare fidem, Dux optimus inquit,*
Maxima dùm retinet; Nil Fide majus habet.

Hæc ſunt, perfidiæ, digniſſima præmia, veſtræ,
Iſta monent, ne quis, perfidus eſſe velit;

Hinc quia nulla manent, linguæ, periuria noſtræ,
Victorem ſemper me jubet eſſe DEUS.

Attamèn haùd renuo, veſtro, indulgere timori,
Stet Portæ, numero, Miles utrimque, pari;

Comprobat hoc Preſes, CÆSARQUE *Temeſvaris Urbem,*
Atque Arcem, vaſtâ cum ditione tenet.

FINIS.

5855290

Digitized by Google

